

Scit enim ibi malum genium suas exercere vires, et tunc descendere habentem iram magnam, scientem quia modicum tempus habet, Apoc. XII. Idcirco et ipse suis maxime tunc adest. Fecit hoc angelus Christo agonizanti: *Confortans eum, ut S. Lucas ait.*

Licet enim Christus non egerit confortatore, voluit tamen eum admittere, tum quia seipsum noluit confortare, siquidem propter nos omnem consolationem sibi denegabat, tum ut ostenderet angelos custodes adesse suis in rebus maxime desperatis, et maxime quando Dei causa aliquid patiuntur. In articulo autem mortis homo maxime desertus est, et humanis auxiliis destitutus.

In Mexicana provincia anno 1587. cum infirmus quidam metu mortis vehementer consterneretur, evenit, ut die quadam conspiceret pulcherrimum juvenem, qui circumdatus admiranda luce, illi appropinquare et demonstrare cepit (quo amaritudo gravissimæ ipsius tristitiæ aliquantum leniretur) montes aliquot opertos auro ac margaritis, in quibus clarissimis vestibus ac vultibus conspici innumeri homines mutuis sese applausibus ac solatiis recreabant: tum omnia singulatim contemplari jussit ac dixit, hunc paradisum esse et exultantes homines esse sanctorum animas, qui sub insignibus christianæ fidei sancte viventes feliciter obiissent.

Unde juvenis visione adstantibus recitata tam flagranti illius regni desiderio accensus fuit ut jam nihil magis optaret, quam vitam hanc deserere, ex litt. annuis societatis Jesu, anno 1587. En quid angelus custos faciat.

VI. Duxit angelus Petrum per primam et secundam custodiam, inadvertentibus et forte sopitis custodibus. Sic angelus custos illæsum sæpe ducit per tentationes dæmonis et carnis, dum earum vim refringit. Cujus figuram cernere est in illo angelo, qui luctans cum Jacob, tetigit nervum femoris ejus, qui ex hoc emarcuit, Genesis XXXII.

Nervus iste vim concupiscentiæ designat, quam ita enervat angelus, ut ne supra vires hominem tentet atque opprimat: dæmones vero sopit, vel eatenis alligat sicuti canes feroces, ne in obvios irruant pro libitu. Sic angelus præses Israelitarum obstitit Balaamo, primum ne pergeret ad maledicendum populo sibi commisso, tum ire permisit, sed hac conditione ut ne aliud loqueretur, quam ei ipse præcepturus esset, Num. XXII. atque ita cupiditatem maledicendi in eo repressit.

Ita angeli boni permittunt quidem dæmoni, ut nos tentet, sed tamen cupidinem et furorem ejus retundunt: ne vehementius nos impugnet, quam vires nostræ ferant.

Ita duxit illæsam per castra hostium Juditham: *Vivit ipse Dominus, inquit, quoniam custodivit me angelus ejus et hinc euntem et ibi commorantem et inde huc revertentem, et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, Judith XIV.*

Denique, hoc figuratum fuit in angelo, qui excussit flammam ignis de fornace et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem ut non tangeret tres pueros, Dan. III.

VII. Demum eduxit eum per portam ferream ultro apertam, e carcere per vicum unum in civitatem et libertatem. Sic etiam angelus custos educit tandem clientem suum ex ergastulo corporis, per ferream mortis portam, et per vicum iudicii particularis in cœlestem civitatem et securam libertatem. Testis hujus rei Christus ipse, qui Lazarum ab angelis portatum esse in sinum Abrahæ dixit, Luc. XVI. testes sanctorum vitæ, quorum plurimi a sanctis angelis suscipi et ad superos gestari visi sunt.

Velut Sanctus Martinus, Sanctus Dominicus, mendicus ille Servulus apud S. Gregorium M animam S. Guilielmi abbatis vidit per duos angelos elevari ad cœlum Gomundus ejus discipulus: animam Sancti Pauli eremitæ Sanctus Antonius: animam Sancti Germani episcopi, Sanctus Benedictus: Petrus exorcista et Marcellinus cum sociis martyribus a spiculateore visi ab angelis in cœlum ferri, unde is conversus est, etc.

Felices vero illi, quibus ultro se aperit mortis janua, id est, qui libenter, prompte et hilari animo mortem appetunt, qui Domino pulsanti confestim aperiunt: *Beati enim sunt servi illi.*

Quæ cum ita sint, videat nunc quisque, quid angelo suo debeat. Petrus sane his peractis ad se reversus, Deo gratias egit: *Nunc vero scio, inquit, quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis et de omni expectatione plebis Judæorum.*

Deinde, hoc beneficium alii annuntiavit et undique prædicavit. Sic et nos Deo grati esse debemus, eumque prædicare et benedicere, qui tanta nobis præstat per angelum custodem.

Deinde, custodem ipsum revereri et audire momentem. Et vere modo certo sciremus seu firmiter crederemus, angelum esse, qui nos custodiat et tot beneficiis cumulet, quomodo eum non amaremus, coleremus, audiremus.

## CONCIO III.

## BENEFICIA ANGELI CUSTODIS CORPORALIA.

I. Ducit et comitatur. — II. Victum suppeditat. — III. Nuptias prosperat. — IV. Hostes compescit. — V. Pacem inter conjuges conciliat. — VI. A periculis servat. — VII. Medicinam præstat. — VIII. Replet omni bono.

## THEMA.

*Angeli eorum semper vident faciem  
Paris mei. Matth. XVIII.*

Legimus in libro Tobiae, cap. V. seniore Tobiam junxisse filio ut in Rhages Medorum abiret repetitum decem talenta argenti a Gabelo, quæ crederat illi adeoque socium itineris sibi quæreret virum fidelem, qui eum duceret et reduceret. Paruit filius et egressus invenit juvenem splendidum, stantem præcinctum et quasi paratum ad ambulandum: qui non difficulter socium itineris, utpote sibi perspecti se obtulit et adjunxit, fuit autem is angelus Raphael, multa qui ei beneficia impertit per viam, quæ filius recenset patri c. XII. *Me duxit et reduxit, inquit, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem me habere fecit, et dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus ejus fecit, meipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli, et bonis omnibus per eum repleti sumus.*

Videtur mihi Deus in hoc archangelo Tobiae ductore veluti imagine depingere voluisse beneficia angeli custodis corporalia. Senior Tobias Deum repræsentat, qui quemlibet hominem veluti filium et facturam suam, cum in hunc mundum pro honorum operum meritis cumulandis misit, velut in Rhages pro pecunia repetendam misit (Rhages enim commotio seu tempestas exponitur, et bene mundum hunc designat), sed quis itineris comes et dux futurus? Uti junior Tobias domo egressus mox invenit angelum: ita infans quilibet vix materno prodit utero, et en occurrit angelus, quem Deus ab æterno custodem ei destinavit.

Hinc ille splendidus est juvenis, nostræ peregrinationis comes, præcinctus ad ambulandum et per vitæ hujus viam plurima nobis beneficia conferens tam spiritualia, quam corporalia: sed nos in præsentiarum corporalia tantum videbimus, ab hoc angelo Tobiae potissimum exhibita.

I. *Me duxit et reduxit, inquit Tobias: ad eundem modum angelus custos in via et itineribus fidelissimus nobis est comes, ductor et reductor.* Sic angelus Domini præcedebat castra Israel in columna nubis monstrans eis iter per desertum,

## VI. PARS FESTIVALIS.

Exod. XIII. id quod etiam præstitit exercitui Christianorum insidiis circumvento, cum is ab obsidione Bostri Arabum metropoli recederet, anno Domini 1144. quando terra sancta et Jerosolyma adhuc in nostra erat potestate.

Cum enim ut scribit Guilielmus Tyrius, lib. XVI. capite XII. in inevitabilia incidisset discrimina, et errarent omnes in invio et in via et angustiis locorum interclusi essent, ab ingruentibus hostibus cædendi, nec haberent ducem qui agmina præiret et locorum, per quæ transituri erant, haberet peritiam: ecce subito cohortes præcedens miles quidam ignotus, albi sessor equi, rubei coloris vexillum bajulans, lorica indutus, curtis usque ad cubitos manicis antecederat exercitum.

Hic tamquam angelus Domini exercituum viarum sequens compendia et ad aquas prius congruis et commodis stationibus castra metari ducebat. Qui illis deductis Jerosolymam usque illo admirabili perfunctus ministerio, ab omnium mox evanuit oculis.

Idem angelus specie juvenis elegantissimi Sanctum Dominicum de nocte ad monasterium duxit et portas reserans introduxit, ut in ejus vita apud Surium, tomo IV. Sed quid serenissimo Maximiliano imperatori antequam imperator esset, contigerit, dum per præruptas rupes Anipontanas, juvenili ardore rupi capras et ibices insecutus, eo loci evasit, unde nec referre pedem nec ulterius progredi posset, nisi in præcipitium, narrat Stephanus Pighius, in Hercule prodicio et nos supra recensuimus in festo circumcisionis.

II. *Pecuniam a Gabelo recepit; qua nimirum domus Tobiae paupercula sustentaretur.* Addere poterat Tobias quod ejus ope in via sustentatus sit, piscem enim grandem ejus opera cepit, de quo in itinere vivebat.

Ergo angelus custos pascit esurientes et sustentat inopes. Ita enim Genesis XXI. cum Agar filium suum, aqua deficiente, jam animam agentem in solitudine, ad radices arboris adjecisset, ne videret eum siti confici, angelus apparuit et ostendit illi puteum aquæ limpidae, qua moribundum filium reficeret. Ad hæc Daniele in lacu leonum conclusum, per Habacuc ad eundem locum mirabiliter delatum, pavit cibis, qui pro messoribus parati erant, Daniel VI. Eliam etiam refocillavit pane subcinericio et vase aquæ, III. Reg. XIX.

Idem Jacob patriarcham, servientem socero suo Laban mirabiliter ditavit, docendo eum modum et artem, qua adhibita plurima maculosa pecora gignerentur, ut Abulensis et alii recte deducunt

ex Genes. XXXI. ubi angelus ait: *Leva oculos tuos et vide omnes masculos varios et maculosos, etc.*

Quin et manna angelorum ministerio Israelitis in deserto datum et confectum est; ideo enim panis angelorum vocatur a Davide, Psal. LXXVII.

III. *Uxorem me habere fecit*, inquit Tobias. Sic rustos iis, quibus honeste conjugium propositum est, de tali sponso ac sponsa providet qualis rei congruit. Hoc præstitit Tobiae, sancto nimirum juveni sanctam ostendendo et procurando conjugem.

Hoc idem præstitit Isaaco, procurando ei Rebecca optimam et virtuosissimam puellam. Cum enim servus Abraham pro uxore filio accipienda missus esset, isque hæsitaret de modo et ratione inveniendi sponsam quale m querere jubebatur, dixit ad Abraham: *Dominus Deus, qui tulit me de domo patris mei, etc. ipse mittet angelum suum coram te, et accipies inde uxorem filio meo*, Genesis XXIV.

Unde qui in hoc negotio tam difficili non vult decipi aut errare, sæpe ac serio rogare deberet angelum suum, qui optime novit qualis cuique conjux conducatur: ut ipse quodammodo ejus paranymphus esse velit. Nec uxorem tantum, sed et liberos obtinuit Tobias, septem filios incolumes ex instructione angeli; si nimirum triduo post nuptias abstineret ab uxore et orationibus vacaret; sic enim benedictionem consecuturum, ut filios procrearet incolumes.

Ita Sara sterilis nuntiavit angeli, quod paritura esset filium, Gen. XVIII. et alius idem nuntiavit uxori Manue, Jud. XIII. itaque ad angelum accurrere possunt, qui liberos eosque pios et incolumes desiderant; et qui eos probe ac feliciter educari cupiunt, angelorum tutelæ et manibus commendent. Sic fecit Jacob nepotibus suis, Genesis XLVIII: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.*

Unde narratur, Jud. XIII. de Manue, eum instantissime Deum rogasse ut angelum suum de cælo mittere dignaretur, quo ab eo optimum modum educationis disceret, cujus beneficio ab uxore sterili filium acceperat. Quam vero cupiant angeli custodes pie educari liberos, vel ex eo colligi potest, quod Exod. IV. occidere voluerat Moyses angelus Domini (ut habent Septuaginta) quod non circumcidisset filium juxta legem Domini.

IV. *Dæmonium ab ea (Sara) ipse compescuit*, inquit. Relegavit enim id in deserto Ægypti, ut neque hominibus neque pecudibus neque arboribus nocere posset. Sic angelus custos hostes clientis sui compescit sive visibiles, sive invisibi-

les, ne vel illi vel ejus rebus nocere queant, quantum volunt. Contra invisibiles hostes, quod nos juvent angeli, quis dubitare potest? Quam enim frequenter, putatis, dæmones, qui nobis adsunt, et qui summo odio nos persequuntur, vel ignem, vel in aquas, vel in præcipitia projicerent, vel in mille partes discernerent, si non impedirentur utique a bonis angelis? Unde S. Basilius ait: «*Quemadmodum urbium muri in circuitu undequaque hostium insultus arcent: sic et angelus a tergo et a fronte custodit, etc.*» et Origenes, hom. VIII. in cap. VIII. Josue: «*Sancti angeli, inquit, videntes nos insectationem dæmonum pati, insurgunt adversus eos, qui non insectant et omnes eos post terga cadentes interimunt.*» Sic ille, id quod merito quemlibet animare debet.

Quod vero etiam ab hostibus visibilibus nos defendant, testis est populus Hebraeus, qui angeli a præsidio a Pharaone defensus fuit: testis Jacob, qui angelorum præsidio munitus fuit contra Esau fratrem, Genesis XXXII. testis Judas Macchabæus, qui præsidio angelico suffultus, devicit Lysia exercitus; apparuit enim præcedens eos eques in veste candida armis aureis, hastam vibrans, II. Macchab. XI. testis Elisæus, qui circumdatus ab hostibus vidit maximam exercitum angelorum sibi in auxilium et opem a Deo optimo max. missum, IV. Reg. VI. testis Ezechias rex, qui centum octoginta quinque millia Assyriorum hostium suorum ab angelo una nocte trucidata vidit, IV. Reg. XVI. testis Theodosius junior imperator, quo cum Persis et Saracenis pugnante, circiter centum millia Saracenorum in fluvium Euphratem angelus Domini præcipitavit; ut Socrates, lib. VII. histor. cap. XVIII. qui etiam, cap. XXIII. scribit angelum Domini, quando Joannes quidam imperium per tyrannidem affectabat et collectis barbarorum copiis Theodosio insidias struebat, ac Ravennæ commoraretur, in habitu et forma pastoris ducem itineris Theodosii copiis se præbuisse et per stagnum Ravennæ adjacentem deduxisse, qua via nemo unquam iter fecisse commemoratur: sicque exercitus Theodosii civitatem apertam invenientes ingressos tyrannum occidisse.

Vultin audire nuptera? Quæ refert pater Drexelius, in horolog. tut. angeli, hora V. cap. II.

«Cum serenissimus Boiarie dux Maximilianus, anno 1620. in rebelles Bohemos moveret, non procul in vili pago (Lichiz ei nomen) per aliquot dies castra habuit hoste satis vicino, et insidias varie procurrente. Multis frustra tentatis, noctem unam, quæ opportunior visa, delegit sibi hostis,

jorsan non minimam cladem illaturus si inferre illi tam concessum, quam destinare. Mens erat serenissimum Maximilianum ducem, et omnem illic militem, vi repentina opprimere et ut cruenta hæc fraus certiore iret successu, selectissimos quosque milites ad signa evocabant primipili. Ibat agminis caput, quod et belli Fridericus quondam elector Palatinus, cujus regiam dignitatem annum tantum magistratum fuisse, eventus docuit: ibat dux Anhaltinus: ibat et ducis Anhaltini filius: ibant præstanti animo et numero daces complures, cum suis quisque selectis copiis. Primum agmen comes ab Hollac ducebat, conjunctis ex omni turma selectis equitibus et mosquetariis, ut essent mille trecenti: hos Hungari, illos Austri, istos alii atque alii sequebantur: principis Anhaltini filius (qui hæc sua manu conscripsit) regem proximus anteedebat. Hi omnes castris sua hora septima primæ noctis ceperunt egredi. Decem millium insidiosa hæc phalanx fuisse creditur. Euntibus nox favebat, serenissimum ducem Maximilianum locus non defendebat, nec adeo numerosus, puto, miles qui hosti par esset, vigilabat. Vigilabant tamen pro eo insomnes angeli, qui quod ipsis facile confusissimum hostem, et jam insidias metuentem, quas structuras venerat, in castra repulerunt, re non tantum infecta, sed nec quidem incepta. Triplex hosti objectum impedimentum. Primum, a via aberrarunt, qui apud illos, viæ peritissimi ducibus habebantur. Facillimum est errare, cum angeli seducunt. Alterum, tantæ viarum angustiae occurrebant, ut universum agminis ordinem turbant et solverint. Tertium, terror plane panicam viam omnem coegit relegere nam eæ inter Hungarorum præsertim ordines ortæ sunt turbæ, ut hostem, quem quæsierant oppressuri, jam fugerent velut proditi perditique. Atque hæc vel ipsorum hostium testimonio vera esse comperta sunt, nam omnia quæ narravi, principis Anhaltini filius, Gallico idiomate accurate descripsit, sed in ultimo prælio et ipse et bellici ipsius commentarii sunt capti.»

«Attexo narrationem (in rem ipsam iudicis partem mihi non sumo) et duorum colloquium, e quo pronum sit opinari, in ultima dicti anni et et decretoria pugna, milites e cælo suppetias advenisse et luculentam opem tulisse catholicis signis. Non ita diu post memorabilissimam illam cæsis rebellibus victoriam, Augustæ in eodem hospitio convenerunt, miles unus religione catholicus, et gente nobilis, alter dux belli e Wittenbergia oriundus, qui rebellium Bohemorum castra sequebatur. Hic miles: Quæso, inquit, strenue domine, fas mihi sit quærere, qui tandem fieri

potuerit, ut omnis adeo animus in pedes vobis conciderit? Annon vobis æque ac catholicis copiosus exercitus? Annon vobis locus multo æquior quam catholicis? Annon penes Moravi equitatus robur? Annon vos tormentorum currulium numero illic loci superiores? Annon fessum catholicorum agmen, vos jam dispositi per quietem acie excepistis? Annon vobis urbs a tergo munita? Vicinum palatium, Stella nomine, propugnaculum? Unde ergo catholicis victoria, vobis fuga? Ignoscat mihi, domine, tuus genius: pene ausim dicere femina fuistis, quia nolulistis vincere. Audiit hæc e Wittenbergia militie dux. Et si finisti, inquit, quæ nos promere volebas et me audi. Pugna ratio hæc fuit: Nos nec nostras, nec hostium vires ignoravimus; quis utrinque numerus esset legionum scivimus, et ita equitatum equitatu, turma turmis, legionem legionum opposuimus prout licuit: certe hic ducem nec industria accusari potest nec prudentia: arma nobis cum hoste paria fuerint: locus, fateor, nobis æquior fuit ac opportunior quam hosti; ex edito pugnabamus in subeuntes. Sed et alia, non nego, Bohemorum parti contra Bavarum militem favebant. Ideoque victoriae jam fere certi, non sicut illi: diu deliberandum de ineundo conflictu censuimus: e re nostra esse, visum est plerisque omnibus configere. At vero post aliquod pugnae felix initium, nova nobis ex adverso castra stare, gens incognita et nunquam nobis visa se opponere, legio se ostendere de qua nihil unquam nobis innotuit, hic mihi crede domine, ea omnium animos invasit consternatio, ut nemo nisi fugam cœperit circumspicere: nec est quod quis adeo id nobis vitio vertat: ipsi equi stabant et tremebant. Mox partes nostræ labare, dein multum inclinare, inde ruere, demum omnes apertissime fugere; sane plures e nobis in fuga cæsi quam pugna. Quis vero novus hic exercitus? Quæ legio fulminatrix nisi angelorum? Si quidem ex ea nullus militum stipendium a nostris militibus exegit.» Hæc Drexelius.

V. Quinto: *Gaudium parentibus Sarae fecit*, quia scilicet familiam eorum pacatam et tranquillam reddidit, a multis afflictionibus et perturbationibus liberam; septem enim viris successive tradiderant filiam parentes, et omnes septem occidit dæmon ipsa nuptiarum nocte: quæ res maximos dolores afferebat huic familie. Quin et Tobia jam sepulcrum foderant servi, quasi eandem sortem subituro. Ab hac igitur tristitia liberabat Raphael Sarae parentes. Figurata hoc significat quod consimili modo angelus custos in familia et inter conjuges pacem conciliat, et discordiarum auctorem diabolum compescit.

Alias etiam gaudium sæpe parentibus creat, dum liberos eorum parvulos mirabiliter ab interitu servat. Inter multa hujus veritatis testimonia, refert unum Theodoretus, in Philotheo, in vita Sancti Juliani Sabæ de puero septenni prope Antiochiam, qui, dum mater sanctæ hospitalitati intenta esset, lapsus est in puteum, dum circa eum luderet: sed tantum abest ut aliquid læsionis acceperit, ut potius in superficie aquæ sedens, cum aquis ludere visus sit. Aliud refert Maiolus, lib. I. canic. colloq. XII. de muliere inope in urbe Astensi, quæ dum flumen Tanarum navigio trajicere una cum aliis vellet, colligendorum lignorum causa, et dextra sua puerum triennem teneret, lactantem vero alium læva in sinu foveret, demersa nave ipsa cum utroque trans flumen devecta est incolumis, absque ulla vel natandi peritia vel labore, cum tamen reliqui natandi periti a fluctibus hausti et extincti sint. Accidit id anno Domini 1564. dominica prima post octavam paschæ. Nimirum pia mater similem angelis se præbuit, dum non minori dilectione, filios fortiter retinuit sui oblita in periculo, quam angeli sancti eos custodiunt: ideoque angelicam opem merito experta est.

VI. *Me ipsum a devoratiome piscis eripuit*, inquit. Quo denotatur angelos custodes ab innumeris periculis, et vitæ discriminibus servare suos clientes. Etenim Lethum eduxerunt et servarunt ab incendio Sodomæ, Genesis XIX. tres pueros in fornace ignis, Daniel. III. Daniele in lacu leonum, Daniel X. apostolos de nocte apertis carcere januis eduxerunt, Actorum V. Petrum e carcere Herodis, Actorum XII. Hæc et similia complura beneficia præstitere postea innumeris aliis et præstant usque in hodiernum. Legimus enim ab ipsis eductos e carcere Sanctum Swithbertum episcopum, apud Surium, 4. martii: Apollonium monachum cum sociis, apud Baron. ad annum 362. Felicem item Nolanum presbyterum, qui etiam postea cum persequentes idololatrias fugiens inter duos se parietes occultasset, repente loci illius aditus araneorum telis obductus (absque dubio angeli ministerio), ut ita securus lateret, et neminem suspicionem latebræ relinqueret, ex breviario, in ejus festo: Hildegundis etiam virgo, quæ virili habitu Josephum se vocabat a quibusdam incolis Zusmarhusianis, inter Augustam et Delingam, contra jus fasque innocens ad arborem suspensa, ab angelo tutelari sustentata est, ne pendens fauces elideret; dulci etiam harmonia recreata, donec a vicinis opilionibus deponeretur, apud Raderum, in virid. ss. p. 1. Quam historiam quia mira et loco nobis vicino contigit, ex ipso atexam. « Ergo Hildegundis Novesio op-

vido, ad quintum infra Coloniam lapidem, oriunda, sub ementito viri sexu et Josephi nomine, utroque orbata parente, et peracto Jerosolymitano itinere, in quo a servo comite bonis omnibus spoliata et deserta fuit, Coloniam tandem Dei ductu ad cujusdam canonici amplas ædes defertur hospitioque peregrini adolescentis nomine suscepta est. Qui Romam ob controversiam quamdam proficiscens Josephum quamvis reluctantem, ob linguarum peritiam itineris comitem sibi adjungit: litteras scipione inclusas gestat, primumque Moguntiam mox Zusmarhusium, quod inter Augustam et Dilingam est, parique intervallo a Lico et Danubio quindecim millia passum abest, Busmanshusem olim venit, imperatoriam enim urbem Augustam Vindellicorum, ubi multi ex aula imperatoris Palatini agebant, quod litteris metueret, studio declinaret. Hanc tamen relictis Josepho litteris et scipione, uti se pedes mox sequeretur, expeditus equo transit. Sed Josephus dum vicinum nemus erat, in furem, quasi viatorem, delabitur, quem spoliati, priore nocte, incolæ Zusmarhusiani persecuti vestigabant, quos fur minus sentiens, saccum in quem furta conjecerat, Josepho quasi mox rediturus servandum tradit, ipse inter dumeta prospectans eventum rei expectat. Oppidani advolant, Josephum sacco insidentem comprehendunt, cædunt, reumque furti peragunt, negantem et reclamantem etiam contumellis onerant, et vi in forum pertrahunt, capitisque sententiam in insontem perinde ac furem pronuntiant. Josephus cum videret sibi extremum imminere exitium, rogat sacerdotem, uti noxas suas audiat, sacramque synaxim innocentie ultimum asylum impertiat. Sacerdos Josephi innocentia et furis nequitia cognita, persuadet popularibus sontem inquirerent, adolescentem enim omni culpa videri vacare. Repertum ad Josephum adducunt, utrumque coram certantes audiunt Josephum enim ipsum esse a quo saccum ignorans accepisset, pernegare alter. Cum longa altercatione nihil perficeretur, neque uter reus esse scire posset sacerdos iudicium ferri candentis proponit, quod innoxii tractat manibus Josephus, uritur alter et suspenditur. Propinqui furis indignati, Josephum abeuntem per insidias in saltu excipiunt, atque in eadem arbore neclunt, in quam actus erat reus. Hic Deus innocentie testis et patronus virgini succurrit, cœlitumque mittit, a quo ne pendens elideret fauces, gulamque frangeret, sustentaretur. Quin et divina quadam harmonia pendentem mulcebat, quod cum miraretur Josephus, rogaretque qui essent, respondit tutelaris spiritus, se beatos esse cœlites, in auxilium ei missos, symphoniam vero

in sororis Agnes gratiam institutam, quæ modo in Novesiano virginum cœnobio ad cœlum defuncta abiret, ut ita inter beatarum mentium gratulationes cum triumpho templa cœli ingrederetur. Permovit interim Deus vicinos opiliones, qui ibi pascabant ut suspensam a furca detraherent. Detractam dum solvunt, subita luporum incursione, qui in armenta grassabantur, aversi jacentem et ligatam relinquunt. Sed divinitus soluta surgit, et ab angelo custode in candidissimum equum imposita Veronam, quo herus ejus jam pervenerat, deportatur. Accipitur a canonico cum ingenti gaudio, qui jam ejus adventum desperarat, miratur causam, discrimen miseratur, de salute gratulatur, ac secum Romam adducit, confectisque negotiis in Germaniam ad Nemetes. Nec multo post a Bertholdo, qui paulo ante ex milite monachus erat factus, Schonaviam deducitur, ubi in album tyronum Zenobii adscriptus, in religiosum ac monachum tondetur; nemini quippe sexus arcanum prodidit. » Ubi et felici fine quievit: post mortem primum agnitus omnium stupore, lacrymis, gaudio et Dei laude. Denique pauperes, pupillos, viduas et parvulos ab angelis defendi et vindicari, ex hodierno evangelio cognoscere possumus: *Videte ne contemnatis unum ex pusillis, istis: dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei*, tamquam diceret: Angeli custodes non cessant vindictam repetere contra potentes qui pusillos et humiles Christi servos non cessant inique vexare. Et quis est ex omnibus nobis, qui non sapius manifestissimam angeli tutelaris opem in gravibus discriminibus expertum se fateri debeat? Quoties enim e præsentis aliquo periculo sumus liberati: toties angeli tutelaris ope sumus liberati.

VII. *Te quoque patrem videre fecit lumen cœli*. Si ergo ægritudo, aut alia corporis miseria te pulsat, recurre ad angelum. Hic enim non tantum medicamentum oculorum Tobie subministravit, sed etiam quotannis ad piscinam probaticam descendit et supernaturalem aquæ conferebat efficaciam ad sanandos quoslibet morbos. Notum etiam quando tempore S. Gregor. Magni pestis Romam dire vexabat, dum supplicationes fierent, et ad molem Hadriani perventum esset, visum esse angelum nudatum gladium in vaginam reponere, eoque facto luem cessasse. Ad horum ergo potius, quam ad malorum geniorum opem si confugerimus in nostris ægritudinibus, sæpe medicam eorum experiremur manum; sed quia diabolum aliqui appellant, ad diabolum ibunt. Certe si ab angelis medelam quæreremus, nunquam falleremur, vel enim eam acciperemus, signum

foret magis e re nostra esse morbum vel mortem, quam convalescentiam. Sunt enim servi Dei, et amici nostri, nec cupiunt nocere, sed prodesse: contrarium agit dæmon.

VIII. Denique: *Bonis omnibus per eum repleti sumus*, a. Sic ministerio angelorum replemur omni bono, quidquid enim peculiaris et præter naturam beneficii a Deo accipimus, per manus angelorum accipimus; Quoties ex itineribus salvi et cum pace redimus; quoties in magna penuria et paupertate sustentamur et alimur; quotidie quis optimam nanciscitur conjugem et liberos bonos; quotidie a dæmonum et aliorum hostium insidiis liberamur; quoties singulari aliquo beneficio recreamur; quoties e vitæ periculis salvi evadimus; quoties e desperatis morbis convalescimus: toties credere debemus, per manus angelorum hæc nobis a Deo beneficia provenisse. Unde sicut parentibus quod nos alunt, præceptoribus quod nos instruunt, magistratibus quod nos tuerentur, servis quod nobis serviunt, grati esse debemus: ita debemus etiam angelis. Et certe Tobias et parentes ejus nihil dignum existimabant quod tanto benefactori, Raphael scilicet, rependerent: *Pater quam mercedem dabimus ei*, inquit, *aut quid dignum poterit esse beneficii ejus?* Itaque rogare eum cœperunt, ut dignaretur dimidiam partem omnium quæ attulerant, acceptam habere. Sed nihil horum acceptavit angelus: *Benedicite Deum cœli*, inquit, *et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam*. Hoc itaque imprimis rependamus, ut Deum laudemus et glorificemus, non ore tantum, sed et vita. Deinde, et ipsum angelum etiam debito modo honoremus. Et primo, caveamus, ne in præsentia ipsius ad indecentiam aliquam nos effundamus vel corpus inhoneste nudemus; siquidem apostolus in epistola ad Corinthios velari in ecclesiis præcipit feminas propter angelos. Ut ergo puer non audeat incivilitatem vel insolentiam aliquam exercere præsentis pædagogo suo: ita caveamus nos gestus indecoros, utpote coram angelo.

Unde S. Chrysostomus, hom. III. in epist. ad Coloss. ait: *Angelum habet unusquisque credentium. Si ergo angelum habemus, sobrii simus tamquam si pædagogi quidam nobis adessent*.

Deinde, caveamus angelos nostros offendere, idque tanto majore sollicitudine quanto facillius contra ejus puritatem et continuam munificentiam peccatur. Atque hunc respectum et venerationem inculcat nobis S. Bernadus, serm. 1. de angelis in hæc verba: « Pensate quanta etiam nobis sollicitudo opus est ut dignos nos exhibeamus eorum frequentia, et eo modo conversamur in

conceptu angelorum, ne forte sanctos offendantur obtutu. Væ enim nobis si quando angeli provocati peccatis, et negligentibus nostris indignos nos judicaverint præsentiā et visitatione sua, ut jam necesse habeamus cum propheta plangere et dicere: Amici mei et proximi mei adversum me appropinquerunt et steterunt, et vim faciabant qui quærebant animam meam; elongatis nimirum eis, quorum præsentiā protegere et propulsare poterat inimicum.»

Denique, rependamus illis obsequia, quanta possumus maxima, amoris, honoris, laudis et gratiarum actionis, et toties quoties aliquod beneficium accipimus, imo quoties hora sonat. Singulis enim horis cogitant de bonis, et novis nos cumulāt beneficiis; quorum aliqua quidem observamus, alia vero minime, quædam præstant nobis nolentibus ac repugnantibus ut cum violenta quodammodo manu abstrahimur a peccatis et incendio gehennæ, ad instar Loth, quem Sodomis exire renuentem, manu prehensum coegisse leguntur, Genes. XIX. *Dissimulante illo, inquit, sacerdotus, apprehenderunt manus ejus, etc. educeruntque eum et posuerunt extra civitatem.* Porro tanto major esse hæc gratitudo debet, quanto celsior est persona, quæ beneficia illa communicat, angelus nimirum, qui in sacris literis *altitudo cæli* nominatur, recipiente, hoc est, homine vanitatibus et miseriis undique circumdato. Quod autem beneficium et donum ex conferentis dignitate potius quam ex suo pretio æstimandum sit, non solum ostendunt theologi cum D. Thoma, in III. parte; verum etiam gentiles perspectum habuerunt. Narrat Franciscus Albertinus, in lib. de angelo custod. cap. XXII. ex veterum Romanorum gestis Scipionem Africanum cum nescio quam rebellionem compescuisset, in divisione spoliatorum jussisse incredibilem auri summam tradi gregario cuidam militi, ut ne is queri posset parcus sibi præmium obtigisse, quam virtus sua et infractionis animi magnitudo meruerat. Miles indignantibus mox acceptum aurum tamquam vile munus in terram abjicere. Quod ubi ad Scipionem delatum esset, agnovit generositatem militis eumque accersitum donavit monili argenteo, ita dicens: *Imperator exercitus hoc tibi monile donat.* Itaque miles abunde satis sibi factum existimans lætus ad castra rediit, et eo nomine solum pluris pependit monile argenteum, quam massam auream, quia illud sibi ab ipso duce, hæc a duce ministro porrigebatur. Maximus quidem Tobias æstimavit beneficia a comite, quem hominem reputabat, accepta: *Pater, inquit, quam mercedem dabimus viro huic? Aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? At ubi cognovit se negotium ha-*

bere cum archangelo Raphaelē, tantum ejus beneficiorum æstimationi pondus accessit, ut modum ac rationem, ea compensandi ignorans, per tres horas in terram se prostraverit ac demum in se reversus omnes propinuos recentis prodigii narratione ad laudandam Dei potentiam excitavit.

#### CONCIO IV.

ANGELI CUSTODES QUIBUS MAXIME BENEVOLI, ET FAMILIARES, QUIBUS POTISSIMUM INFENSI.

I. Amant castos. — II. Eleemosynarios. — III. Religiosos. — IV. Patientes pro amore Dei.

#### THEMA.

*Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.*  
Matth. XVIII.

Omnes quidem s. angeli, hominum custodes, maximo amore clientes diligunt, et summo studio custodiunt. Non est tamen negandum hanc charitatem et industriam uni magis impendant, alteri vero minus, prout meretur quisque et hac se custodia dignum reddit. Scimus enim e ss. litteris sanctis aliquot viris majora beneficia ab angelis impertita esse, quam aliis.

Horum autem quatuor invenio classes, quibus sese angeli maxime addictos monstrant. Prima, virginum et castitatis studiosorum est: secunda, eorum qui in pauperes largi et profusi sunt: tertia, religiosorum: quarta, eorum qui miseras et calamitates amore Dei perferunt. Causam desideramus? Quia hæc quatuor hominum genera a mundi inquinamenti maxime refugiunt, adeoque supra mundum ad angelos se attollunt.

Qui in prima classe, deliciis se abdicant carnis; qui in altera, opibus; qui in tertia, parentibus; qui in quarta, seipsis. Hinc ergo fit, ut qui angelis maxime assimilantur, ab iisdem maxime diligantur. Videamus singulos.

I. Virgines et casti. Hi enim angelis similes, ad angelorum familiam pertinent uti docet S. Hieronymus, epist. XXXII. ad Eustochium enim ait: « Statim ut Filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit, ut qui ab angelis adorabatur in cælo, haberet angelos in terris. »

De hac familia fuit imprimis Sancta Cæcilia virgo et martyr, quæ ad Valerianum sponsum ita locuta est: « Volo te scire me angelum Dei habere amicum, qui summo zelo corpus meum custodit. Is si vel minimum fuerit suspicatus, quod tu incesto me amore contingas, iram suam

protinus in te accendat et juventutis tuæ florem perdat: sin autem cognoverit, quod tu simpliciter, et immaculato mei amore tenearis, et virginitatem meam integram et impollutam custodias, te sicut me diliget, etc.» Quod ipsa præstitit, in vita Sanctæ Cæciliæ. Ad eandem spectat Theophila virgo nobilissima, quæ sub Maximiano imperatore ad prostibulum a lictoribus tracta manus et oculos in cælum attollens, miserabili voce sic orabat: « Mi Jesu, meus amor, mea lux, meus spiritus, meus custos castitatis et vitæ, quæ est tibi desponsa, vide o sponse, in quem nulla cadit reprehensio, et festina, quoniam non est tempus quidem peccandi, ne pactum conventum fallam; ne prodas me bestiis; ne lupi tuam pecudem lanient; serva sponse sponsam, meam conserva castitatem, fons castitatis, ut tuum quoque nomen, nunc quoque maxime glorificetur, quod intelligenter glorificatur ab angelis.» Hæc illa quidem oravit cum lacrymis, effectum autem Deus reddidit. Introducta virgo in prostibulum, prolato de sinu codice, evangeliorum lectioni se dedit; qui vero primus ex intemperationibus ad eam ingredi ausus est, tremore agitatus, pro-cumbit mortuus; qui post aliquot horas ingreditur secundus, nimio splendore obcæcatus, fœres, quibus exiret, quærebatur, quod æque pluribus accidit, nullis egredientibus, quod mirati alii plures, non jam virginem querentes, ingrediuntur, sed quid factum esset, explorantes, vident admirabilia et terribilia; virginem quidem sedentem, libro incumbentem, prope vero juvenem admirabili splendore et fulgore collucentem, ac metu cum pene obriguissent, exclamant: Quis est sicut Christianorum Deus? Nec spectaculum ferentes inde se proripiunt, omnes quidem oblitum libidinis, nonnulli etiam impietate abjurata. Quibus auditis, Maximianus reus magicis adscribit artificis. At juvenis (id est, angelus Domini) puellæ assistens prostibulo eductam, ad vestibulum ecclesiæ cum pace dimittit. Ita habent acta Nicomed. mart. apud Surium, 26. decembris.

His accedit Beata Emmerlindis virgo, quæ cum ejus castitati heras, cui serviebat, insidias pararet, nocte qua ad ecclesiam vadens rapienda erat, monentem audit angelum: *Recede virgo, recede et virginitatem, quam Deo consecrasti, inviolatam custodi.* Parens virgo recessit et ab angelo ducta est in locum Meldricis villæ, ubi Deo in tuto serviret, Sarius, 19. octobris. Illud porro mirum et notatu dignum est in ss. virginum vitam martyrio, quod licet multæ nobilissimæ et speciosissimæ virgines a tyrannis sollicitarentur ad stuprum blanditiis, metu, vi, imo ad lupanaria impellerentur, nullam tamen violatam, sed om-

nes a Deo et angelis tutoribus in virginitate servatas legamus.

Quod de feminis audivimus, idem de viris quoque castitati addictis, ostendi potest, scimus enim Sanctum Thomam Aquinatem propter castitatem angelis charum fuisse, ab eisque cingulo castitatis præinctum, postquam, titione impudicam mulierem a se repulisset, deinceps omni sensu libidinis caruisse.

Legimus etiam apud Socratem, in hist. eccles. I. IV. capite XXIII. Annium virum castitatis servandæ gratia ab uxore discessisse et vitam monasticam professum: qui cum corpus suum nunquam aspexisset nudum, et aliquando vadum fluvii transire deberet, sese tamen vestibus exuere nollet, repente per angelum translatus est in adversam ripam.

His etiam non injuria adnumeramus Sanctam Judith castimoniam præcellentem, quæ pudicitiam suam inter Assyrii illius accipitris (Holofernis) unguis angelo custodi adscribit: *Vivit Dominus, inquit, quoniam custodit me angelus ejus et hinc euntem et ibi commorantem, et inde huc revertentem, et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari*, Judith. XIII.

II. Eleemosynarii, sunt enim et ipsi angeli custodes misericordiæ operibus maxime spiritualibus totum addicti. Scimus Abrahamum et Lothum meruisse sua liberalitate et hospitalitate ut angelos susciperent, Genes. XVIII. et XIX. Neque enim initio sciebant esse angelos, peregrinos existimabant; quomodo alias dixisset ad eos Abraham: *Ponam buccellam panis et confortate cor vestrum?* Et Loth: *Lavate pedes vestros?* Num angeli hiis indigebant? Simile quid narrat de Sancto Gregorio papa Joan. diaconus, in ejus vita, qui cum pro duodecim pauperibus convivium instruxisset, angelum inter eos accumbere conspicatus est, qui ad Gregorium: « Scito, inquit, usque adeo placere Deo benignam hanc voluntatem tuam erga pauperes, ut ejus intuitu elegerit te in pastorem universalem totius Ecclesiæ christianæ; et ecce me qui missus sum, ut animam tuam usque ad ultimum vitæ halitum custodiam, pollicearque omnia te a Deo per me obtenturum esse, quæ animo tuo placuerent.» Illustris etiam hujus rei testis est puella illa Alexandrina, quæ grandem debitorem ex desperatione ad restim actum, suo patrimonio ei oblato, et laqueo et debito liberavit: postea cum ipsa propter id factum pauperiem indeque vitam lubricam incurrisset, ægritudine correpta baptismum petisset, sed patris non haberet, ecce duo angeli inexpectato comparuerunt, et patris munus subie-runt; ut ex prato Sophronii alibi recensui.

III. Religiosi et mundi contemptores. Patet primo, in Daniele, qui angelum sibi dicentem audivit: *Ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, auditur sunt verba tua, etc.* Dan. X.

Secundo, in Jacob, qui paterna domo egresus ad declinandam fratris iram, vidit scalam illam, in qua angeli ascendebant et descendebant, Gen. XXVIII.

Tertio, in Sancto Guthlaco, qui quamdiu vitam eremiticam ageret, quotidie mane et vesperi frui solitus est præsentialia angeli, a quo recreabatur, futura et absentia edocebatur, apud Surium, 14. aprilis.

Quarto, in monachis Ægyptiis, qui ab angelo edocti fuerunt canere psalmos duodecim, cum orationum interjectione, apud Cassianum, libro II. institutionum, capite V.

Denique, in Laffardo monacho Coloniensi, ut vocant converso, apud Vincentium, in speculo historiarum, quæ cum aliquantisper curam habuisset clavium cænobii, in quo habitabat, in se nectute tandem tentatus fuit a demone peccato superbiæ, ut diceret intra se: « Ego jam consensui et quamquam nobiles parentibus oriundus sum, conficior tamen in claustris hoc laboribus monasticis, et aliis inservio, qui alioquin frui possem juxta libitum meum servitio aliorum. Ibo potius, et vel in gravi senio toleratas hucusque molestias extra monasterium compensabo. »

Dum igitur nocte quadam experrectus decerneret mox illucescente aurora cænobio egredi, venerandi aspectus virum vidit, qui nutu suo hortari eum videbatur, surgeret, seque anteeuntem sequeretur; quare indutis vestibus eum persecutus est usque ad portam ecclesiæ, et hinc ad ostium cæmeterii, quæ ultro ipsis aperta sunt. Hic Laffardus obstupescere, et multo magis vehementiusque ubi cæmeterium ingressus, sensit aperiri sepulcra, et juxta unum eorum hujusmodi sibi verba ab angelico ductore dici: *Viden Laffarde hunc hominem? Propediem talis et ipse eris; dic sodes relicta claustrali requie quorsum tendis?* Cum autem ad alia quoque contemplanda cada-vera angelus eum ducere niteretur, Laffardus secundum omnia viscera attonitus et conturbatus exclamare cepit: *Dimitte me Domine obsecro: dimitte me; infirmior sum quam ut diutius oculis meis tantam superciliem ac fæditatem usurpem.* Mox pœnitentia ductus, quod monasterio egredi deliberrasset, porta templi ac cæmeterii claudi vidit et angelus eo ad dormitorium reducti sparuit.

IV. Patientes aliquid pro amore Dei, quod imprimis cernere est in tribus pueris Hebræis mis-

sis in fornacem propter veri Dei cultum, et abominationem statuæ Nabuchodonosoris, qui maximis miraculis angeli beneficio e fornace illæsi regressi sunt. Nam ignis devoravit ministros regis, pueros non adussit flammæ injectos: vestibus etiam illorum intactis, vincula absumpsit: ad hæc angelus ad eos in fornacem descendens excitavit ventum roris, quo æstus temperabatur: inde pueri in medio fornacis hymnum Deo cantabant, Dan. III.

Et hinc fiduciam concepit Beata Agatha, quando freta fortitudine angeli custodis tyrannum, qui ignibus eam cruciare decreverat, irrisit dicens: *Si ignem adhibeas, rorem mihi salvificum de celo ministrabunt angeli, ut est in breviario Romano: Daniel, in lacu leonum reclusus per angelum defenditur: Misi, inquit, Deus angelum suum, qui conclusit ora leonum.* Daniel. VI. passitur etiam ibidem beneficio angeli, qui pulmentum messoribus paratum in lacum ipsi defert, Daniel. XIV. Petrus angeli beneficio ereptus et eductus est e carcere, Act. XII. alii martyres quam plurimi in tormentis ab iisdem roborati, sanati et recreati sunt: imprimis Theodoros quidem adolescens sub Juliano apostata in equuleo tortus et acutis testis suffossus, sic se habebat quasi nihil sentiret, cantans illum psalmum in opprobrium Juliani: *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia et qui gloriantur in simulacris suis.* Qua constantia obstupescit præfectus Juliano cessare ab instituto suadet, ni velit et Christianos augeri gloria, et se ludibrio haberi. Solutus igitur est una cum cæteris victis adolescens, qui post interrogatus, qui habuisset, respondit, se non omnino quidem doloris sepsu caruisse, sed adstississe sibi adolescentem (angerus is erat) qui tenuissimo linteo abstergeret sudores, et aqua frigidissima corpus perfundens, ardorem restingeret et ærumnas sublevaret, atque hoc ab eo se audivisse testatur Ruffinus, l. II. c. XXX. Antiochiæ cum esset.

Vicissim angeli custodes subtrahunt quibusdam opem suam iisque invisi sunt.

Tales primo, obscœni et impuri. Quemadmodum enim apes, castissima animalcula, utpote quæ ex concubitu non gignuntur, venereos oderunt, si Pierio credimus, l. XXVI. hierogl. ita et angeli, qui uti carnis, ita Veneris sunt expertes, sibi dissimiles obscœnos oderunt et aculeis ob-jurgationum suarum pungunt. Exemplum refertur in speculo explorum, dist. X. ex. IX. de adolescente devoto alioquin erga angelum custodem, nec minus modestia et pudicitia prædito. Hic cum litterarum gratia versaretur in diœcesi Ultrajectensi, nescio quo casu aliquando accidit,

ut conjungeret sese juvenibus dyscolis et lasciviæ deditis, qui malo exemplo et astu impudicæ mulieris, ad quam ille præter omnem opinionem suam deductus erat, eousque eum pellicerent, parum ut abesset, quin cum puritate mentis, florem virginitatis hactenus divina gratia et protectione angeli conservatum et illæsum, conculcaret.

At desertis tandem sociis nox quippe ingruerat cum domum repetens, etiam atque etiam exenderet secum et admiraretur periculum, in quod irreparabilem pudicitia thesaurum conjecerat, ecce obviam illi juvenem inusitati decoris, ut claritatis, qui accedens alampam ei inflixit tanto impetu, ut in terram concideret, dicens: *Vel tandem discite perversas societates defugere, et repente disparuit.* Adolescens attonitus rei novitate paulo post in pedes se erexit, et reflectens animum ad ea, quæ sibi acciderant, manifeste agnovit juvenem illum angelum custodem fuisse, ejusque beneficio tantum se ea die discrimen castimoniam evasisse, didicisseque in posterum peccandi occasiones vigilantius evitare. Unde incredibile perfusus gaudio pro duplici favore Deo et custodi angelo gratias reddidit, cautior in conversatione effectus.

Pupugit ergo hæc apis juvenem prope nimis ad scortum accedentem, ac quemadmodum angelus terruit asinam Balaami, ne dominum suum veleret ad nefariam maledictionem: ita corripuit hunc juvenem: *Ut caro castigata ab angelo erudiret spiritum, inquit S. Greg. in pastoralis, locum illum explicans.*

Secundo, contumaces, siquidem hi ipsorum monitis et medelis resistunt; jure proinde ab iisdem tandem relinquantur. Hinc Origenes angelorum vocem putat esse illam, Jeremias LI. *Curavimus Babylonem et non est sanata, derelinquamus eam.*

Certe hujusmodi angelorum vox audita fuit a sacerdotibus in templo Hierosolymitano paulo ante excidium urbis et templi in die pentecostes, videlicet: *Migramus hinc, ut scribit Josephus, libro VII. de bello Jud. capite XII.* Migrarunt autem inde angeli ob contumaciam Judæorum, qui tot visis prodigiis Christo et apostolis ejus credere noluerunt, idque eis dudum ab Isaia, capite V. prædictum fuit: cum sub parabola vineæ synagoga redarguta audit: *Auferam sepem ejus et diruam maceriam ejus. Custodia Dei fuit seps vineæ, ait Origines, hom. XIX. in Joan.* Resistunt denique contumacibus uti Balaamo is qui dicebat: *Ego veni, ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihi que contraria, Num. XXV.*

Tertio, superbi, ut docet exemplum Prætextatæ

apud S. Hieronymum, epistola ad Lætiam: « Prætextata, inquit, nobilissima quondam femina jubente viro Hymetio, qui patruus Eustochii virginis fuit, habitum ejus cultumque mutavit, et neglectum crinem, mundano more pexuit, vincere cupiens, et virginis propositum et matris desiderium. Et ecce tibi eadem nocte cernit in somnis venisse ad se angelum terribili voce minitantem pœnas, et hæc verba frangentem: Tunc ausa es viri imperium præferre Christo? Tu caput virginis Dei tuis sacrilegis attrectare manibus? Quæ jam nunc arescent ut sentias excruciatia quid feceris: et finito mense quinto ad inferna duceris: sin autem perseveraveris in scelere et marito simul orbaberis et filiis. Omnia per ordinem expleta sunt, et seram miseræ pœnitentiam velox signavit interitus. » Sic ulciscitur Christus violatores templi sui, sic gemmas et pretiosissima ornamenta defendit. Denique, si S. Basilio credimus, omnia peccata fugant modo aliquo angelum custodem. « Quemadmodum enim apes fugat fumus, inquit, et columbas graveolentia expellit, sic custodem vitæ nostræ angelum lacrymosum et graveolens abigit peccatum, » conc. IX. in Psal. XXXIII. Quod non ita intelligendum, quasi omnino peccatorem derelinquat angelus, sed quod in aliquo eventu non juvet, et per aliquod etiam tempus permittat hominem cadere in aliqua mala a quibus posset eum liberare demerentibus id peccatis ejus. Cum enim homines divinis beneficiis, quibus omnes fruuntur, ingrati a lege divina rectæque rationis norma recedunt, numinisque obliti ad omnem vitiorum turpitudinem se prosunt, merentur hoc beneficio angelicæ protectionis destitui, ut ostendit Leon. Lessius, de perfect. div. libro XIII. capite X. Itaque divinæ justitiæ decreto sensim hæc protectio subtrahitur, et diabolo, qui ante veluti ligatus erat, vires relaxantur ad vindictam, nimirum ut per sua membra, hoc est, per impios principes vel hæreticos, bella adversus illud regnum moveat, aut seditiones concitat et præsidia, quibus illud se tueri potuisset, evertat magnamque in eo confusionem rerum inducat: quo fit ut illud regnum fiat imbecillum, sine animo, sine consilio, sine viribus, sine idoneis ducibus, sine successu, et ita implicitum difficultatibus, tum externis tum domesticis, ut non possit se evolvere. Si quid boni consilii ab aliquo suggeritur, ab alio captiosis ratiunculis evertitur, neque qui præsumt tantum luminis habent, ut inter noxia et salutaria possint discernere. Si quæ occasio rei bene gerendæ se offert, ea vel non advertitur, vel exigui sumptus causa negligitur, vel nescitur, quomodo ea sit utendum. Pericula impendunt non provi-